PROGRAMMA
Quo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS
Barnſtorff /
Med. D. P. P. & Poliater
Ad
PENTECOSTEN
Ritè & ſanctè juxta exemplum veteris Eccleſiæ celebrandam
Omnes omnino Cives Academicos, eâ quâ fas eſt humanitate invitat atque ſeriò adhortatur.

ROSTOCHII. TYPIS. JOH. WEPPLINGII, UNIV. TYPOGR.

CElebramus jam pentecoſten illam, qua magni illius miraculi, quô Apoſtoli viſibili planè gratiâ Spiritus Sancti inſtructi ſunt, recordationem habemus non ſine admiratione divinæ gratiæ ſuaviſſimam. Lætari quondam poterant & debebant Judæi, quod factâ jam frugum meſſe, ipſo Pentecoſtes die duos panes fermentatos tanquam primitias Sacerdotibus offerebant, collaudantes ſic bonitatem DEI pro tam largâ & provida beneficentia qvâ terræ fertilitatem ſuam ineſſe voluiſſet. Lev. 23. 16. ſq. Quanto majori gaudio non nos efferamus jam animum, cum præſentes ferias ingreſſi ſumus. Non terrena, non caduca, ſicut Judæis ex frugibus, ſed quæ ſunt Spiritûs & æterna bona, Chriſtianis ſunt de cœlo collata. Qvò majus verò bonum, eò ſignificantior etiam & diffuſior ſolet & poteſt eſſe animi lætitia. Equidem & illa beneficia, qvæ ex terrâ proveniunt, & ſine qvibus vita non poteſt eſſe aut tranqvilla ſatis aut magnifica, eum in finem à DEO nobis tribuuntur, ut excitemur inde ad agnitionem DEI, & officii noſtri, qvô Deo tam bono omnium Patri vivere obſtricti ſumus. Quicquid enim in mundo eſt à DEO creatum, hominem velut pro fine ſuo habet, ut homo ad DEUM tanqvam ad ſcopum & finem omnium rerum ſuarum eò amabilius, eò glorioſius adducatur atqve omni animi contentione redeat. Ea tamen bona, qvæ ad animum pertinent per ſe, qvemadmodum majora ſunt & cœleſtis planè naturæ, ita etiam magis animum reficiunt, materiamqve gaudii præbent prorſus inenarrabilem, inqve omnem vitæ uſum ſe qvâm latiſſimè diffundentem. At verò qvantis donis Eccleſia Chriſti non hac die qvondam cumulata pariter & inſignita eſt. Terrebantur olim Jſraelitæ horriſona illa voce, qua legem accipiebant ab ipſo DEO latam, atque inter fulgura & tonitrua pronunciatam. Fœdus namqve cum ipſis pangebatur legale, qvod vitæ promiſſiones à conditione legis implendæ omninò ſuſpen-

pen-

5 3700/42

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

pendebat. Nihil tale nos jam habemus, quod metum incutere poſſet. Alia longe ratio eſt N. quàm V. T. Non impetuoſus, non horriſonus eſt ille venti ſonus, qvi ex cœlo factus totam ſedem illam Apoſtolorum mirabiliter implevit: ſed ſvaviter admodum ſpiravit, tanquam indicium rei inde futuræ ſuaviſſimæ. Illapſus quidem fuit cum ſuſurru qvodam non ſine vehementi aëris motione, ut rem novam ſubeſſe omnes ſtatim, ſuâ ſponte intelligere poſſent; ſed ſine turbine fuit, qvo qvicqvid eſt obvium, in diverſum velut rapitur, ſine fragore fuit, qvo res inter ſe colliſæ diſſilire atque diſſenſum aliquem ſignificare videntur, ſine procellis fuit à qvibus non raro vita ſibi humana habet, qvod metuat. Murmur tamen gratiſſimum & fortiter ſibilans adfuit cum mora quadam omnibus auditum, viamqve monſtrabat omnibus ad ædem illam omnis miraculi plenam. Adeò ſcilicet ad gratiam hîc debebant omnia fieri, cum ſignificatio jam fiebat divinæ gratiæ erga omnes omnino homines in ſanguine Jeſu Chriſti propenſiſſimæ! Non conveniebat jam terrere homines, ut refugerent, ſicut factum legimus, cum lex promulgaretur, ſed id fieri oportebat, ut in jucundam rei admirationem rapti confluerent omnes ad primam illam in N. T. Evangelii prædicationem. Quæ res ſicut maximi momenti eſt, utpote qvô Eccleſia N. T. plantari cœpit, ita memoriam ejus ſanctè & reverenter ſemper apud nos redintegrare fas eſt. Sunt, qui putant Pentecoſten V. T. in memoriam legis in monte Sinai latæ qvondam inſtitutam fuiſſe & quanquam illi non ſatis firmiter opinionem hanc ſuam tueri poſſe videntur, dum tempus partim, quo lex edicta eſſe fertur tam latè & ambiguè deſcribitur, ut interpretes habeat variè adhuc inter ſe diſſentientes, partim in ipſa pentecoſtes conſtitutione de tali ejus uſu prorſus tacetur, tam propè tamen ſe uterque temporis terminus contingit, & qvo lex in vulgus dicta & quo pentecoſte celebrari debet, ut pentecoſte, legis promulgatæ recordationem facilè præ

ſe.

ſe ferre, inque ejus etiam memoriam præter alios fines inſtituta eſſe ſimul credi poſſit. Nos majori jam animo & ſereniore facie præſentem N. T. pentecoſten tanqvam diem feſtum agere & poſſumus & debemus, cum in legis locum Evangelium ſucceſſerit omnis ſolatii pleniſſimum. Tam mirabilis fuit illa effuſio Spirit9 S. ſuper Apoſtolos, ut, ſicut omnem DEI gratiam, omnem pacem hominibus obtulit, ita tantæ hujus rei memoriam pentecoſtes feſto non ſine multis gaudiis celebrare voluerit religioſa ſemper ſatis antiquitas. Et licet præter controverſiam de paſchate tandem compoſitam etiam ille circuli error, qui cum annis etiam ſenſim major factus, id effecerit, ut turbato calendario noſter pentecoſtes dies non cum Judaico amplius poſſit convenire, id tamen relinquitur, quod eodem â paſchate intervallo, eodemque die, quo à paſchate pentecoſte V. T. ſacra fieri cœpit, noſtra etiam pentecoſte ſuas ferias habeat. Deficiamus ego à die illô, qvo miraculum effuſi Spiritûs S. fieri contigit, non tamen committimus, ut ejus rei memoriam ſanctè ſemper repetendã unqvam amittamus. In qvemcunq; interim diem pentecoſte noſtra incidat, memoria tamen, qvæ eſt omnis temporis, hac noſtra conſuetudine etiam qvod ſuum eſt, & ſibi tribuit, & habet. Pentecoſte vocatur à rotundo numero, qvo poſt ſecundam paſchatos ad lucem pentecoſtes qvinqvies decem dies velut in unum circulum concurrunt, ut vel inde imaginem aliqvam habeamus concordiæ, qvâ per omnes vitæ dies in unum ſpiritum, unamqve mentem conſpirare oportet, donec ad veram rotunditatem, qvæ in æternitate eſt, perveniamus. Feſtum ſeptimanarum dicitur, qvia ſeptem hebdomades interlabuntur, anteqvàm lux ejus orta, & poſt ſexies ſeptem dies demum celebrari cœpit. Protrahebatur eò usq; meſſis Judæorum, qvæ à ſecundo Azymorum die, immiſſâ in ſegetem falce, labores hominum usq; ad Pentecoſten occupabat, ubi abſoluta jam erat illa, & DEO reddebantur grates Deut. XVI. 9. 10. Nolumus jam in numeris myſteria qværere, remq; conjecturis ſacris committere, qvæ cer-

tius

tius probanda eſt. Id tamen dicamus, veteres Chriſtianos à conſuetudine illâ Judaica circa Pentecoſten planè receſſiſſe. Nihil ſuppetebat Apoſtolis ex frugibus, qvod DEO poſſent offerre. Neqve in templo tunc erant Hieroſolymitano, ut ſacra ſua facerent coram Sacerdotibus, ſed in publico forſitan diverſorio, in qvo & ante qvod verè illuſtrabant atq; magni faciebant diem Pentecoſtes tanqvam illuſtres planè facti præcones gratiæ divinæ. Tribuebatur apud Judæos tempus modò unius diei Pentecoſtes ſacris peragendis. Apud Chriſtianos verò poſteà Pentecoſtes nomine veniebat omne dierum illud intervallum, qvod à paſchate ad Pentecoſten usq; intercurrit, omnesq; illi qvinqvaginta dies, qvi ſic interfluebant, velut continuum aliqvod feſtum & qvaſi una perpetua dies dominica, Chriſtianis ſacri erant, obtinuitq; mos ille appellandi ſic pentecoſten à Tertulliani ætate, qvi Sec. II. vixit, per decem & qvod excurrit ſecula. Cum freqventiſſimi aliàs eſſent in jejuniis inque genu flexionibus, qvandò preces fundebant veteres, his diebus & jejunio abſtinebant, & ſtantes orabant, ſicut die Dominicâ ſemper fieri conſvevit. Indeqve ſtatutum legimus in Concilio primo Nicæno, qvod verè Orthodoxũ eſt, ut ſtantes orationes fundant fideles non minus Pentecoſtes diebus qvàm dominico. Revocabant ſcil. in memoriam ſibi præcipuè lætiſſimam illam converſationẽ cum Domino, qva Apoſtoli utebantur & recreabantur mirũ in lætitiæ modũ, cum ex mortuis reſurrexiſſet Salvator noſter optim9. Qvæ voluptatis memoria cum poſt aſcenſionem Domini ad pentecoſten usq; recentiſſima adhuc eſſet penes Apoſtolos, eosq; admodum hilariter velut in tripudia ageret, tanqvam viventes adhuc ſine perſecutione, factum etiam eſt, ut qvod eſt reliqvum octiduum ad diem Pentecoſtes, pariter illis lætitiæ diebus adjiceretur, ſicqve gaudium Eccleſiæ in publica ſolemnitate majus fieret. Jam reſonabant maximè Eccleſiæ collaudante illa voce *Alleluja*, qva majori, qvam Judæi, lætitiæ ſignificatione laudes Dei in cœlum efferre pote-

 rant

rant Chriſtiani. Jam baptiſmus peragebatur publicâ celebritate, confluente undiq; ad illud lavacrum animæ infinitâ fere hominum multitudine. Solebant namq; Veteres non ſicut Apoſtoli ad fidem converſos, niſi neceſſitas urgeret, ſtatim cum totâ familiâ Baptiſmo abluere, ſed expectabant in Eccleſia potiſſimùm latinâ & Africana vigiliam illam nocturnam & poſt illam abrogatã, diurnã ſive diem, qvi proximè ſine ullo alio interveniente paſcha antecedit, & ſeqventem Pentecoſten. Hâc velut ſtatutâ temporis morâ qvicunq; nomen *CHRISTO* dederant, per Baptiſmum in fœdus Dei & Eccleſiæ ſocietatem pleniore jure recipiebantur. Incipiebant homines jam externum etiam ſplendorem in Eccleſia magis reſpicere, qvo & fidei doctrina glorioſius innoteſceret, & illi etiam interea, qvi non ita pridem idololatriæ ſuæ nuncium miſerant, qvo eſſent animo, apertius explorarentur. Cumq; baptiſteria non ita freqventer omnibus locis proſtarent, & jus baptizandi ad Epiſcopos modò & Presbyteros, non verò ad Diaconos pertineret, ſancta illa paſchatis hebdomas & pentecoſtes velut productæ paſchatos feriæ deſtinabantur ſacris illis, qvibus adminiſtrabatur publicè baptiſmus. Eò jam confluxus fiebat omnium, qvi baptiſmum expetebant; non maris periculum, non viæ pedeſtris diſcrimina, non liberorum teneræ ætates metuebantur, ſed omni animi deſiderio eò properabant omnes. Audiamus jam Tertullianum cauſam ejus rei de Baptiſmo cap. 19 ſic exponentem: *Diem baptiſmo ſolemniorem paſcha præſtat, & cum paſſio Domini, in qvam tingimur, adimpleta eſt: Exinde pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt, qvo & Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus Sancti dedicata & ſpes adventus Domini ſuboſtenſa.* Subjungit tamen idem ille ſtatim: *Cæterum omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile baptiſmo. Si de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert.* Qvemadmodum tamen initium hujus diuturnioris feſti in Eccleſia non ſine magno & peculiari prorſus rerum ſplendo-

re nebat, remittente paululum de eô, quod ſeqvebatur, temporis intervallo, ita ultimus etiã dies, qvi Pentecoſtes noſtræ eſt, in ea celebritate erat apud omnes, ut nec pietati ardor, nec ardori ſuæ ſolemnitates deeſſent. Hæc jam dies præcipuè ſancta pentecoſte audiebat, qva vivificus ad nos Spiritus Dei deſcendit, teſte Evagrio. Hanc qui celebrare intermiſerat, quaſi novam hæreſin reduxiſſe notabatur. Ea ergò hominum multitudo ad baptismum ſuſcipiendum conveniebat tunc, ut una nocte, in qva hujus Pentecoſtes vigiliæ religiosè agebantur, quingenti Judæi, relictâ ſuâ veteri conſvetudine, teſte Gregorio Turonenſi, per baptismum Chriſtianis annumerati ſint. Mittamus jam octavam etiam illam Pentecoſten, quæ, cum priores feriæ propter magnam illam Pentecoſten, quæ eſt unius diei, & noſtra jam, paululum ceſſare inciperent, in locum illarum ſubſtituta eſt, per octo continuos dies poſt diem primum noſtræ Pentecoſtes ſacra ſua producens. Mittamus etiam in ipſa qvinqvageſima à paſchate ſimul fuiſſe finem apud Græcos omnis feſti, ut nonniſi apud Latinos ex octava illa pentecoſte tandem tres feriæ ſacris Pentecoſtes relictæ adhuc fuerint. Hoc tamen reliqvum nobis jam eſto, ut ſicut veteres Pentecoſtes ſolemnia omni religione obſervarunt, nos etiam id jam agamus, ne in ulla pietatis parte vel qvicqvam deficere videamur. Finita qvidem jam fuit meſſis Hebræorum, noſtra tamen meſſis qvemadmodum æterni gaudii eſt, ita in æternitate etiam pleniſſimè demum expectanda venit. Reſtat ergò, ut plena fide ei ſemper occurramus, ſpem lætitiæ ſubindè majorem apud nos facientes qvamdiu hîc permittitur Spiritum vitæ trahere. Recordemur jam Baptismatis noſtri, qvo ex SpirituS. renati ſumus ad vitã ſpiritualem, qvæ eſt filiorum Dei. Exultemus ergò cum ſancta veteri Eccleſia tam ſalutaris & mirabilis lavacri noſtri ita memores, ut ſicut Apoſtoli vocem noſtram extollamus, magnifica opera Dei & miſericordiam ejus infinitam plenis velut buccis decantantes. Abluti ſumus, Cives Optimi, ſancti atq; juſti-

juſti facti ſumus in nomine Domini noſtri *JESU* & in Spiritu Dei noſtri, ne amplius ſimus noſtri arbitrii, ſed amplificemus gloriam Dei in corpore noſtro & in Spiritu noſtro, qvæ ſunt Dei 1.Cor.VI.11. 19 ſq. Ita ergò jam tractemus ſacra Pentecoſtes, ut tanqvam templũ Spiritus S. in laudem & gloriam Dei optimè vivamus, cogitantes ſapientiam mundi etiam, qvod tamen laudabile adhuc eſſe videtur, coram Deo eſſe ſtultitiam, 1.Cor. III, 16.19. Non itaq; faciamus & ſentiamus cum mundo ejusq; vanitate, niſi cum ipſo perire velimus, ſed cogitemus ea, qvæ ſunt Spiritus Sancti. Et qvemadmodũ indè ad omnem elegantiam ut vitam componamus, admonemur qvâm humaniſſimè, ita nihil horum intermittamus impoſterum, qvæ virtutis atq; laudis eſſe intelliguntur. Vos potiſſimum jam alloqvor, Nobiliſſima ſtudioſorum corona, qvi in gloria & deliciis noſtris eſtis qvam ſvaviſſimis, Veſtra ſalutis cura nobis eſt commiſſa, veſtrûm etiam ut habeatur ratio & in fide & in moribus, eſt qvod maximè nobis convenit. Cum itaq; hactenus in diſputationibus publicis id obſervatum ſit, qvod turbato ordine illud etiam ſpatium, qvod, ut liberiores diſputantium voces ſint, ipſis autoritate publica vacuum eſt relictum & conceſſum, tamen neſcio qvo impetu occupetur, varioq; confabulantium ſtrepitu interpelletur, rogo jam moneoqve publicè, velitis impoſterum moderatiores eſſe, vosq; ita gerere, ut ſuum cuiq; tribuatur & vobis, O ſvaviſſimi, inque ſpem omnis gloriæ nati, parendi gloria relinqvatur admodum laudabiliter. Facietis ſic, qvod eſt pietatis moribus conveniens & gratum Spiritui Sancto, tanqvam omnis boni ordinis Autori, cui ſit cum Patre & Filio gloria, laus & gratiarum actio in omnem æternitatem.

Amen! Valete.

P.P. Sub Sigillo Rectoratus ipſo
Feſto Pentecoſtes Anno Domini
M. DC. XCVI.